



**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

66. An Vicarius habeat eandem prærogativam, privilegium &
immunitatem, quam habet Episcopus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Rit. declarat. quas citat, puta in Nucerna 15. Maii. 1610. in Foroliviens. 24. Novemb. 1668. Et de commissariis ubique, & in omni loco tam presente quam absente Episcopo in Ravennatens. 28. April. 1607. quod postremum est contra Sbroz. num. 33. ubi: declaratur, & non procedat, quando Episcopus est præsens; tunc enim sæcularum Magistratum Vicario Episcopi præferendum refert Menoch, fuisse de cetero ab Episcopo Be limentis conf. 257. n. 49. vol. 3. Vicarius enim ille in honore præferendus est omnibus Diocesanis, & honorandus sicut Episcopus, cujus locum tenet, & specialiter in Ecclesia præcedere quamlibet aliam dignitatem primam post Episcopum. Pignat. cit. n. 5. citans c. precipimus. dist. 93. Anton. de Pretis. tr. de jurisdictione. Episc. c. 6. n. 46. Casan. de glor. mund. p. 3. confid. 46. & 50. & p. 7. confid. 10. Melill. de precedent. Vicar. c. 4. & 5. num. 3. & c. Tum etiam vel ex eo Magistratibus illis sæcularibus præferendus; quia gerit jurisdictionem Ecclesiasticam, & ordinariam quidem in foro quoque externo, quæ utique major est jurisdictione sæculari doctorum Magistratum juxta C. solita. de Major. & Obed. ubi Canonistæ. Sbroz. l. cit. n. 7. citans Boer. tr. de auth. Magistrat. Cephal. conf. 360. num. 5. vol. 3. ubi is, quod Judex animarum dignior sit Judice sæculari: & prout simpliciter Judicem Ecclesiasticum esse majorem Judice sæculari, notat Gl. in c. licet. de except. in 6. Lancell. de attent. p. 2. c. 20. n. 78. Et quidem talem Judicem, qui præest aliis Sacerdotibus, Canonicis, Archidiacono, Archipresbitero, Aboatibus aliisque inferioribus Prælatibus. Sbroz. num. 8. Anton. de Pretis loc. cit. a num. 40. Quamvis autem quis melioribus præest, tantò etiam major est. Sbroz. num. 11. citans Authen. de defens. civ. s. dos igitur. Abb. conf. 21. num. 10. vol. 1. Menoch. conf. 51. num. 10. vol. 1.

2. Limitatur nihilominus responsio multifariam à Sbroz. ac primò quidem num. 21. ita ut procedat in his, quæ pertinent ad spiritualia, non autem in iis, quæ spectant ad temporalia. Citat pro hoc Abb. in c. conquerente. de off. ordinar. num. 2. eò quod in temporalibus Vicarius Episcopi æquiparetur legato Proconsulis; adeoque eum quo ad temporalia præcedent Magistratus sæculares ordinis majoris. Secundò à num. 24. ut non procedat in Officialibus deputatis per Episcopum in iis terris, quæ per Ecclesiam teneantur in feudum acceptum à Rege, aliove domino temporali, qui tunc subsunt cuilibet regio Officiali superiori; eò quod Ecclesia quò ad ea bona feudalia, quæ tenet à Rege, aliove domino temporali ligetur legibus feudalibus Laicorum, subestque domino temporali, juxta c. verum. de foro competent. & c. solita. de majoritate & obedientia. Tertiò à num. 26. ut non procedat in Præsidibus, & Gubernatoribus provinciarum, & civitatum Ecclesiæ subjectarum, qui immediatè creantur à Papa, eò quod isti Præsides provinciarum comparentur Archiepiscopis & Proconsulibus, & majores sint omnibus in provinciis post Papam, juxta c. cum venerabilis. de consuetudine; c. mandata. de presump. & utrobique Canonistæ Sic quoque ait Barbof. l. cit. n. 41. & 42. Vicarius Gubernatorem, vulgo Capitaneum in functionibus Ecclesiasticis præcedit, non tamen Gubernatorem civitatum, quæ sunt capita provinciarum, ut Narniensis Episcopo rescriptis S. Congreg. præposita negot. Episcop. 30. Julii 1592. Quin &, ut testatur Pignat. loc. cit. exilat decretum S. Congregat. Rit. quo censuit, quod Gubernatores civitatum, & provinciarum circa eorum præcedentiam cum Vicariis Episcoporum, si fuerint Præsides

P. Leuren. Vicarius Episc.

provinciarum, ut Bononiæ, Marchiæ Anconitanæ, Umbriæ & similibus, thurificentur, & accipiant pacem immediatè post Episcopum, etiam Episcopo absente, ac Gubernatores civitatum minorum præsentè Episcopo immediatè post ipsum; eò vero absente, si fuerint Episcopi, antè Vicarium propter dignitatem Episcopalem, si vero non fuerint Episcopi, post Vicarium immediatè antè dignitates, & Canonicos. Sic gubernatorem urbis Vicario, qui non sit Cardinalis, præferendum ait Sbroz. loc. cit. num. 28. ex Picardo. Sic gubernatorem Perusii habere potestatem Legati, & esse majorem Vicario Episcopi, & quolibet alio post Principem ait Sbroz. ibid. num. 30. ex Abb. conf. 25. in fine vol. 1. & gubernatorem Beneventi majorem Vicario Episcopi asserit Mandol. tr. de inhibiti. q. 4. n. 7. & 8.

Quæstio 66. Num Vicarius habeat eandem prærogativam, privilegium & immunitatem, quam habet Episcopus?

1. Respondeo negativè. Sbroz. l. 2. q. 24. à n. 60. citans Baldum in l. sed si ff. de in jus vocandis, ubi dicat majorem honorem deberi Episcopo quam Vicario. Et ibid. Jafon. n. 6. Item Felin. in c. cum olim. il. 2. de off. delegat. Menoch. conf. 257. n. 89. cum seq. vol. 3. ubi, quod non sit pater omnium, nec honoretur ut Episcopus. Franc. in c. non putamus. col. 2. vers. delegatus tamen. de consuetudine in 6. ubi is: quod si conceditur aliquid Principi ratione sua dignitatis, illud non extenditur ad ejus Vicarium. Unde jam, licet Vicarius repræsentet personam Episcopi & auctoritatem; non tamen hinc sequitur, quod in omnibus sit honorandus, aut immunitatem habeat sicut Episcopus. Sbroz. l. cit. n. 1. 2. juncto n. 9. cum adhuc fons fecutiens sit major quam rivulus inde proveniens, majorque sit potestas & imperium Episcopi, nec Vicarius in omnibus sit superior ut Episcopus.

2. Nihilominus responsionem limitat ipse Sbroz. primò n. 13. ut procedat quando Vicarius creatur ab Episcopo, non autem, si crearetur à superiore per suspensionem vel per mortem Episcopi; quia tunc gaudere illum eodem privilegio ait juxta l. Vicarius. ff. de legatis. citatque pro hoc more suo quam plurimos. Sic etiam ait Sbroz. l. 2. q. 134. n. 6. ubi Vicarius esset constitutus à Papa, omnes prærogativas Episcopi consequeretur, ad eò etiam causas Episcopo delegatas poterit cognoscere. Pro quo citat Bartol. in l. filius. ff. de legat. Alexand. in l. more. n. 41. de jurisd. omnium Jud. Item ibidem n. 7. ex Ruin. conf. 548. n. 5. in 4. dat hujus rationem, nimirum quia Vicarius à Papa creatus magis repræsentare videtur Episcopum quam creatus ab Episcopo. Secundò n. 14. ut procedat in actibus quas exercendo non repræsentat Episcopum. Secus in illis, in quibus Episcopum repræsentat, quia in illis habet eandem prærogativam. Citat pro hoc Felin. in cit. c. cum olim. il. 2. de off. delegat. col. 1. n. 1. Tertiò, n. 15. ut procedat, quando Episcopus esset præsens, secus si absens; eò quod tunc eadem illi debeatur reverentia ac honor, qui Episcopo, et si absente Episcopo honorari quoque debeat Vicarius juxta dicta supra. Citat pro hoc Picard. conf. 52. n. 69. qui sic nitatur conciliare utramque sententiam, dum concordari possunt hæc duo: non deberi Vicario in præsentia Episcopi tantum honorem ac reverentiam sicut Episcopo: & deberi tantum illi honorem ac reverentiam, etiam Episcopo præsentè. Ac denique n. 19. ait Sbroz. id non procedere de consuetudine, secundum quã indistinctè servetur, quod Vicarius gaudeat Episcopi immunitate, ut testetur Felin. l. cit. Card. in Clem. 1. de off. Vicarii.

C

Quæstio